

## Kritisch-Exegetisches.

---

### Epistolium Homericum.

Iosephus Kraussius Friderico Ritschelio S. Etsi me, quod rariores meae ad Te litterae sunt, peccare non existumo — peccarem, si Te gravissimis studiis intentum ultro compellarem —, tamen hoc die, quo ante plurimos annos et Germanicae iuventuti et litterarum cultui datus es, ne pudor obsistat quominus ad Te scribam, et officii ratio efflagitat et animus poscit ac voluntas. Quoniam autem quae apud nos amisisti istic Tibi cumulate reddita sunt, quaenam alia pro Tua salute vota aut a me concipi possint, aut nuncupari a ceteris, quibus officium praestitisti, quam ut prosperae valetudinis beneficio utare, neu ulla ingravescantis aetatis incommoda experiare, denique ut longum vitae iter emensus discipulorum Tuorum virtutibus Tuae virtutis laudem propagatam videas?

---

<sup>1</sup> chemen] . . emen A<sup>1</sup> (*puncta rasuram denotant*), clemen A<sup>3</sup>,  
cyamen B, ciamen C.

Sed quod olim praesens praesentes monebas, ut in iusto argu-  
mento sermo versaretur, ne prorsus inane litterae ad Te venirent,  
subicere visum est locum Iliadis *B*, 258:

εἰ κ' ἔτι σ' ἀφραίνοντα κιχήσομαι ὡς τὸν περ ἀδε —

Hunc versum probe scis veteribus grammaticis variam dubitandi  
materiam praebuisse. Et Aristarchus quidem maluit εἰ δέ τι, vide-  
licet offensus in κε particula cum indicativo temporis futuri con-  
iuncta. Idem etiam Ptolemaeum Ascalonitam male habuit, qui ut  
alia atque ille via orationi succurreret, κιχείομαι scripsit (κιχήσομαι:  
*Πτολεμαῖος κιχείομαι γράψει Α*). Quae forma coniunctivi praes-  
entis — κιχημαι, κιχέωμαι, κιχείομαι — prorsus convenit rationi  
grammaticae. Medium enim κιχημαι immerito addubitatum esse et  
male abesse nunc a lexicis, si non documento est futurum κιχήσο-  
μαι, at est κιχήμενος participium et ἐκιχησάμην aoristus. Verum  
tamen editores iam inde a Wölfio satius duxerunt Zenodotum se-  
qui, qui εἴ κ' ἔτι — κιχήσομαι scribebat; neque tamen κιχήσομαι  
futuri forma cum Hermanno habenda est (de part. ἄν I, 8 Opusc.  
IV, 29), sed est coniunctivus aoristi.

Sed de his et quae de fine versus in scholiis Venetis referun-  
tur, doctissimorum hominum ingenia adhuc frustra exercuerunt, ut  
operae pretium sit, si fieri possit, admoto lumine caliginem discutere.  
Ratio autem scholiorum facit, ut ab eis, quae apud Bekke-  
rum *B* littera signantur, incipiamus:

ὅ μὲν Ἀρίσταρχος εἰ δέ τι, δὲ Ζηνόδοτος εἴ κ' ἔτι, δὲ προ-  
κοπέον. ἡ δὲ Σινωπικὴ εἶχε κιχήσομαι ὡς τὸ πάρος περ, ἀντὶ<sup>1</sup>  
τοῦ ὡς τὸν περ ἀδε. ἡ δὲ Μασσαλιωτικὴ ὑστερον αὗτις. ἡ δὲ  
κατὰ Φιλήμονα ἐν Δαναοῖσιν *B*.

Lautas vero dapes in *B* codice nobis appositae: cum quibus  
quae in *A* servata sunt si conferimus, multo tenuiora esse miramus:  
ὅτι περισσὸς δὲ καὶ ὅτι συνεδοχή, εἴ σε ἀφραίνοντα  
κιχήσομαι ὑστερον αὗτις. ἐν δὲ τῇ κατὰ Φιλήμονα τὸν Κορη-  
κὸν κιχήσομαι ἐν Δαναοῖσιν. δύνατο δὲ ἀν τὸ ὡς τὸν περ  
ἀδε ἀκούεσθαι ἀπλούστερον ἀντὶ τοῦ οὐτας, ὠσαντας. ταῦτα δὲ Δι-  
δύμος. κατὰ τὸ τέλος τοῦ στίχου ὑποστικτέον *A*.

His edocemur extremam versus partem aliam ferri in aliis  
editionibus; sed quae in *B* codice plane enarrantur, in *A* tam per-  
plexe referuntur, ut appareat non iusta testimonia esse, sed cor-  
ruptas testimoniorum particulæ. Commemoratur enim secundum  
Philemonem Cretensem versus clausulam fuisse κιχήσομαι ἐν Δα-  
ναοῖσιν; quae praecedunt verba κιχήσομαι ὑστερον αὗτις, ea lege-  
bantur in editione Massiliensi, ut cognovimus ex scholiis codicis  
*B*; ipsius quidem Μασσαλιωτικῆς nulla mentio fit, nec magis ser-  
vata sunt quae Sinopensis habebat. Quae autem quaeso hoc loco  
synecdocha est? An Aristarchus sive Didymus is est, qui de synec-  
docha apud Homerum exponat? Ne multa: depravatam scholii  
formam ita mecum ad genuinam revocabis.

— ἡ δὲ Σινωπικὴ εἶχε ἀφραίνοντα κιχήσομαι [ὡς τὸ  
πάρος περ, ἡ δὲ Μασσαλιωτικὴ κιχήσομαι] ὑστερον αὗτις.  
ἐν δὲ τῇ κατὰ Φιλήμονα τὸν Κορηκὸν κιχήσομαι ἐν Δαναοῖσιν.

δύνατο τὸ ἀν τὸ ὡς τὸ περ ὥδε ἀκούεσθαι ἀπλούστερον ἀπτὶ τοῦ  
οὗτως, ὡσαντως, ταῦτα δὲ Λιδυμος A.

Videt, Vir praestantissime, hanc scholii formam longe aliam  
esse, quam quae expressa est a M. Schmidtio Did. Chalc. fragm.  
p. 113? Et simul patefactum est, unde quasi ex fonte manaverint  
quae in B codice servata sunt.

Ad versus A, 211 sq.

ἄλλ' ητο ἐπεσον μὲν ὄγειδισον, ὡς ἔσται περ  
ὥδε γὰρ ἔξερέω, τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται.

scholia haec habent:

*Πτολεμαῖος καὶ Σέλενυος ἐπὶ τὸ ὄντειδισον στίζειν ἀξιοῦσι, καὶ  
ὑποστίζειν κατὰ τὸ τέλος τοῦ στίχου, ἵνα τὸ λεγόμενον, ὥσπερ γὰρ  
ἔσται, οὖν καὶ ἔρω. ἐναντιοῦσθαι δὲ αὐτοῖς τὸ τε ὑπερβατὸν τοῦ γὰρ  
συνδέσμου, καὶ τὸ διλογεῖσθαι τὰ ἡμιστήχια ταῦτα, ὡς ἔσται περ  
καὶ ὡς τετελεσμένον ἔσται. μῆποτε οὖν ἀμεινον στίζειν ἐπὶ  
τὸ τέλος τοῦ στίχου, ἵνα μὴ μόνον συμβονλεύῃ ἀλλὰ καὶ μαντεύῃται,  
ἢ θεοῖς μάλιστα πρέπει A.*

In his scripsit cum L. Friedlaendero τὸ γὰρ συνδέσμου pro  
eo, quod est in codice τὸ περ συνδέσμου. Sed errat ille, quod  
haec verba adicit (Nican. p. 145): ‘Sed etiam Seleuci ac Ptolemaei  
interpunctione admissa verbis τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται id quod  
futurum est praedicit Minerva’. Certe et quia etiam verbis ὡς  
ἔσται περ praedicit Minerva id quod futurum est, efficitur διλογία,  
quam Nicanor improbat. Sed hic ad ea, quibus Ptolemaeum et  
Seleucum refellit, argumenta duo alia afferre debebat, quae magni  
momenti sunt. Ac primum quidem non praetereundum erat, hoc  
versu solemni (v. 212) ita ubique inclusam esse sententiam, ut  
fines versus neutram in partem egrediens neque cum prioribus  
cohaereat neque cum eis quae sequuntur. cf. Il. Θ, 401. 454.  
Ψ, 410. 672. Od. π, 440. φ, 337.

Alterum argumentum inde erat sumendum, quod particulae  
ὥδε — ὡς ita ubique apud Homerum se excipiunt, ut ὥδε antece-  
dat, ὡς sequatur, nec unquam inverso ordine ὡς — ὥδε, id quod  
patet ex hisce locis: Il. Γ, 300. 442—46. Θ, 523. Ξ, 315—28.  
Σ, 464—66. Φ, 430. Od. γ, 221—22. δ, 141. ξ, 116. τ, 312. 350  
—52. 380—81. ω, 861.

Vnus locus Il. Ζ, 477

Ζεῦ, ἄλλοι τε θεοί, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι  
παῖδ' ἐμόν, ὡς καὶ ἔγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν,  
ὥδε βίην τὸ ἀγαθόν, καὶ Ἰλίου ἵψι ἀνάσσειν.

obstare videtur; sed videtur. Neque enim ὥσπερ — ὥδε sibi re-  
spondent, sed ὡς καὶ ἔγώ περ spectat ad καὶ τόνδε. Haec enim  
consecutio verborum est: Ζεῦ, ἄλλοι τε θεοί, δότε δὴ καὶ τόνδε  
παῖδ' ἐμόν γενέσθαι ἀριπρεπέα Τρώεσσιν, ὡς καὶ ἔγώ περ scil. ἀρι-  
πρεπῆς εἴμι. Iam sequitur explicatio ἀριπρεπείας, quam duplicem  
Hector filiolo precatur, virtutem paternam et regnum avitum; ut  
plena enuntiatio fiat addita sententia comparativa ὡς ἔγώ βίην ἀγα-  
θός είμι καὶ Πολύμος ἵψι ἀνάσσει.

Il. Ψ, 319 sqq.

ἀλλ' ὅς μὲν θ' ἵπποισι καὶ ἄρμασιν οἷσι πεποιθώς,  
 ἀφραδέως ἐπὶ πολλὸν ἐλίσσεται ἐνθα καὶ ἐνθα  
 ἵπποι δὲ πλανόωνται ἀνὰ δρόμουν οὐδὲ κατίσχει·

Cum multi et acerrimi ingenii homines in hoc loco haesissent, aliis  
 alia emendandi via suam sententiae integritatem reddere conantibus,  
 hodie fere negant, ullam esse sermonis insolentiam: scilicet dissimulant  
 quam tollere nequeunt periodi asperitatem. Tu vero num  
 lenissima a nobis adhibita medela bene perfecta curatio sit, pro  
 subtili Tuo iudicio existimabis. Scribo autem:

*ἵπποι τοῦ πλανόωνται ἀνὰ δρόμουν οὐδὲ κατίσχει.*

Vale. Scribebam Coloniae Agrippinae 6. die Apr. 1873.